vt vnus Angelus vniatur cum intellectu alterius per modum *ſpeciei*: ergo. Antecedens probatur *primò*: Species accidentalis vnius Angeli reſidens in alio non eſt illapſa illapſu formali (vt ita dicamus) taliter quòd ſit intra terminos eſſentiæ, nempe exiſtentiam, vt ex ſe liquet; ſed non amplius deſideratur, vt eſſentia vnius Angeli vniatur per modum *ſpeciei* cum alio: ergo non requiritur intimus & rigoroſus illapſus ad hoc, vt eſſentia vnius Angeli ſit vnita per modum *ſpeciei* cum alio. *Secundò*: Eſſentia divina, vt habet rationem *ſpeciei*, non vnitur per intimum illapſum cum intellectu beati: ergo non requiritur intimus illapſus, ad hoc vt eſſentia Angeli ſit vnita per modum *ſpeciei* cum alieno intellectu. *Maximè*: Quia ſpecies ſolùm petit, quòd ſit intra terminum Angeli intelligentis, qui ſit talis in ordine intelligibili: ergo cùm huiuſmodi terminus ſit intellectio, quæ eſt exiſtentia in prædicto ordine, ſolùm deſiderabitur, quòd ſit intra intellectionem; ſed hoc non repugnat: ergo nihil obeſt, vt eſſentia vnius Angeli vniatur cum intellectu alieno per modum *ſpeciei*.

Reſpondetur, negando antecedens. Et ad eius primam probationem, conceſſa maiori, neganda eſt minor. Et ratio diſparitatis eſt aperta: nam ad vnionem ſpeciei accidentalis cum intellectu in *eſſe* intelligibili ſufficit, quòd præcedat vnio entitativa per inhærentiam; quæ, vt benè notat argumentum, non eſt intra terminum exiſtentiæ, ſed eſt (vt ſic dicamus) ſupra illam, & eam quaſi circumſtans. Sed cùm eſſentia vnius Angeli non poſsit vniri in *eſſe* entitativo cum intellectu alterius per inhærentiam aut informationem, & non reſtet alia vnio in prædicto ordine præter vnionem illapſus rigoroſi, inde eſt, quód vel hæc vnio debet præcedere; vel nequit dari vnio per modum *ſpeciei* ſeu in *eſſe* intelligibili.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd aliud eſt, quód eſſentia divina vniatur in *eſſe* intelligibili per intimum illapſum illapſu rigoroſo & formali, aliud verò quòd vniatur pro priori ad hanc vnionem per intimum & rigoroſum illapſum in *eſſe* entitativo. Licèt ergo eſſentia divina non vniatur per intimum & rigoroſum illapſum cum intellectu beatì in *eſſe* intelligibili; oportet tamen, quòd ad hanc vnionem præcedat alia per intimum illapſum in *eſſe* entitativo; quæ quia repugnat eſſentiæ Angeli reſpectu alieni intellectus, etiam repugnat vnio per modum *ſpeciei*.

Ad additamentum dic, quòd vt eſſentia Angeli vniretur per modum *ſpeciei*, non ſolùm deſideratur, quòd ſit intra vltimum terminum lineę intelligibilis, qui eſt intellectio, ſed etiam quòd ſit intra vltimum terminum intellectus in *eſſe* naturali, qui eſt exiſtentia eius naturalis: quia ad vnionem intelligibilem præcedere debet alia vnio in *eſſe* naturali: & cùm hæc repugnet eſſentiæ Angeli, etiam repugnare debet vnio in *eſſe* intelligibili.

36 Vltimò arguitur: Poteſt vnus Angelus ſaltem per divinam potentiam producere in alio ſpeciem intentionalem, aut aliquid huiuſmodì: ergo poteſt illabi illi illapſu minùs proprio, ſed ſufficienti vt vniatur per modum *ſpeciei*. Patet conſequentia: nam ſuppoſita vnione intima cum intellectu in *eſſe* entitativo, quę iuxta noſtram ſententiam datur ſemper, ac vnus Angelus produceret aliquid in alio, non eſt vnde ei repugnet vniri per modum *ſpeciei*.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens: principaliter & in virtute propria, nego antecedens: inſtrumentaliter & in virtute Dei, concedo antecedens. Neque ex hoc ſequitur aliqua intima vnio inter vtrumque Angelum: quia inſtrumentum Dei non petit habet approximationem cum paſſo, vt docent N. Complut. abbrev. in Phyſ. diſp. 12. Sed de hoc infrà.

DUBIUM III.

Utrùm ſpecies Angeli ſint à Deo infuſæ; vel à rebus acceptæ?

EX dictis dubio præcedenti apertè colligitur, Angelum indigere ſpeciebus accidentalibus ad cognoſcenda omnia obiecta ſibi extrinſeca. Maximè ſi ſupponatur ex vera Philoſophia, quòd ad concurſum obiecti in intellectionem requiritur intima vnio illius cum potentia, & non ſufficit quæcunque approximatio ſeu præſentia extrinſeca; aliàs inutiles eſſent ſpecies in ſenſibus maximè externis. Nunc inquirimus, an huiuſmodi ſpecies ſint à Deo infuſæ à principio conditionis angelicæ; vel an ſint à rebus acceptæ? Hinc pendet alia celeberrima quæſtio inter Noſtrates & Scotiſtas, an videlicet in Angelo detur intellectus agens? Sed quia inter obiecta intellectus Angeli alia ſunt ſupernaturalia, & alia naturalia, & inter hęc alia ſenſibilia, & alia ſpiritualia, maioris claritatis gratia hoc dubium ſecamus in duas aſſertiones: ſupponentes, quòd ſpecies deſervientes ad cognoſcenda quidditativè myſteria gratiæ fuerunt Angelo infuſæ.

§. I.

Prima aſſertio circa ſpecies rerum materialium.

37 DIcendum eſt *primò*, Angelum non accipere ſpecies rerum ſenſibilium ab ipſis rebus ſenſibilibus. Hęc concluſio traditur expreſsè à D. Thoma 2. Contra gent. cap. 96. art. 1. vbi ait: *Ex præmiſsis oſtendi poteſt, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ non accipiunt*

in-

intellectivam cognitionem ex ſenſibilibus. Idem tradit in hac 1. part. quæſt. 56. art. 2. Conſonatque ſacræ paginæ: Nam Ezech. 28. dicitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia.... in die qua conditus eſt*; ſed hęc verba nequeunt verificari, niſi habeat ſpecies à Deo infuſas à primo inſtanti ſuę conditionis: nam qua parte dicitur eſſe plenum ſapientia, debet habere omnes ſpecies; & qua parte aſſeritur, hoc habere à die conditionis ſuæ, oportet, vt non accipiat eas paulatim & ſucceſsivè à rebus ſenſibilibus: ergo iuxta Scripturam Angelus habuit infuſas ſpecies omnium rerum materialium. Noſtræ concluſioni etiam adſtipulantur SS. PP. nam D. Dionyſ. cap. 7. de Divin. nom. ait: *Angeli non congregant divinam cognitionem à rebus ſenſibilibus*. Et D. Auguſt. lib. 2. ſuper Gen. ad litteram cap. 8. aſſerit, res priùs fuiſſe creatas à Deo in mente Angelorum, quàm in proprio genere; ſed in mente Angelorum non poterant eſſe productę, niſi inquantùm Deus produxerat ſpecies earum in eorum intellectu: ergo iuxta Patres ſpecies rerum materialium fuerunt Angelo infuſę.

38 Nec refert, ſi dicas cum Adverſarijs, ex prædictis teſtimonijs tantùm inferri, quòd Angelus habuerit ſpecies infuſas rerum ſupernaturalium, vel ſpecie rerum naturalium in vniverſali. Non (inquam) refert. Tum, quia locus Ezech. debet intelligi de ſapientia perfecta tam in ordine naturali, quàm in ordine ſupernaturali; ſed non eſſet plenus ſapientia in ordine ſupernaturali, ſi tantùm haberet infuſas ſpecies rerum ſupernaturalium in vniverſali: ergo neque poſſet dici plenus ſapientiá in ordine naturali, ſi tantùm haberet infuſas ſpecies rerum naturalium in vniverſali. Tum etiam: nam Angelus, ſi erat plenus ſapientia ab initio ſuæ conditionis, debebat habere intellectum perfectum, non ſolùm in linea ſpeculativa, ſed etiam in practica; ad intellectum autem perfectum practicum requiruntur ſpecies omnium rerum non ſolùm in vniverſali, ſed etiam in particulari. Tum denique: nam D. Auguſt. loquitur de ea cognitione, quam habuerunt Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis; ſed non fuerunt in ſua creatione beati: ergo non loquitur de cognitione ſupernaturali rerum.

39 Et probatur ratione deſumpta ex Div. Thoma in hac 1. part. quæſt. 55. art. 2. Angelus eſt omninò abſolutus à corpore, itaut neque vniatur, neque vniri poſsit cum corpore per modum formæ informantis: ergo neque poteſt deſumere ſpecies à corpore. Conſequentia probatur: nam modus acquirendi perfectionem eſt iuxta modum eſſendi: ergo ſi Angelus in ſuo *eſſe* non dependet à corpore, nec in acquirendo ſpecies debet dependere ab illo.

Et confirmatur: Nam ideò anima noſtra accipit ſpecies à rebus per intellectum agentem, quia quoad *eſſe* dependet à corpore, & vnitur illi vt eius forma: ergo ſi Angelus neque vnitur, neque poteſt vniri corpori per modum formę, non poteſt accipere ſpecies rerum materialium dependentèr ab illis.

40 Reſpondent Scotiſtæ cum ſuo Subtili Doctore, ex noſtra ratione & confirmatione tantùm inferri, Angelum non poſſe accipere ſpecies rerum materialium miniſterio ſenſuum, ſicut anima noſtra accipit eas, dum eſt corpori vnita. Cum hoc tamen ſtat, quòd Angelus poſſit illas accipere à rebus materialibus velut ab obiectis. Sicut anima ſeparata accipit eas immediatè à rebus: vnde clarè conſtat, quòd vnio ad corpus non eſt cauſa, cur anima noſtra accipiat ſpecies à rebus, ſed cur accipiat eas medijs ſenſibus. Idemque potiori iure dicendum eſt de Angelis.

Sed hæc ſolutio efficacitèr refellitur à Thomiſtis: Nam in idem recidit, intellectum accipere ſpeciem à corpore tanquam ab obiecto, ac illam accipere miniſterio ſenſuum. Probatur: Nam ſolus intellectus nequit eruere ſpecies à corpore, nec ſolum corpus eas immittere in intellectum; ſed nec corpus poteſt immediatè concurrere ad productionem ſpeciei cum intellectu: ergo vel Angelus non accipit ſpeciem à corpore; vel in idem recidit, eam accipere à corpore tanquam ab obiecto, ac illam accipere miniſterio ſenſuum. Conſequentia eſt legitima: quia non eſt excogitabilis alius modus educendi ſpecies à corpore, niſi corpus concurrat per modum inſtrumenti divinę virtutis; quod non negamus; ſed non eſt ad rem. Vtraque hæc præmiſſa ſingillatim eſt probanda.

41 Probatur ergo maior quoad primam partem, quam admittunt Adverſarij: Nam intellectus ab intrinſeco eſt indifferens ad omnes ſpecies: ergo debet determinari ab obiecto, vt producat eius ſpeciem; ſed hęc determinatio nequit ſtare, quin concurrat cum intellectu ad productionem ſpeciei: ergo intellectus ſolus nequit educere ſpeciem ab obiecto corporeo. Qua ratione vtuntur nobiſcum Scotiſtæ ad probandum, quòd phantaſma concurrit cum intellectu agente ad productionem ſpeciei humanæ. Quoad ſecundam etiam partem ſuadetur: Nam obiectum eſt imperfectius, quàm ſpecies: ſiquidem illud eſt omninò materiale, & iſta omninò immaterialis; ſed cauſa principaliſsima alicuius effectus debet adminùs eſſe æqualis perfectionis cum effectu: ergo ſolùm obiectum materiale non poteſt educere ſpeciem, quę reſidere debet in intellectu angelico. Quam probationem etiam concedunt Adverſarij.

42 Deinde minor, in qua tantùm reſidet difficultas, probatur: Tum, quia vel obiectum concurreret cum potentia vt cauſa inſtrumentalis potentiæ, ad eum modum quo nos aſſerimus phantaſmata concurrere inſtrumentaliter cum

in-

intellectu agente ad productionem noſtræ ſpeciei intelligibilis; vel vt cauſa principalis licèt minùs principalis, ac potentia (obiecto enim nequit attribui concurſus cauſæ principaliſsimæ) nec datur alius modus concurrendi activè ad poductionem talis ſpeciei; neutrum dici poteſt: Non primum: tum, quia ſpecies angelica eſt magis ſpiritualis & depurata à materia, quam noſtra pro hoc ſtatu; ſed obiectum materiale non concurrit immediatè adhuc inſtrumentaliter ad productionem ſpeciei noſtræ pro hoc ſtatu: ergo neque poteſt concurrere ad productionem ſpeciei angelicæ. Tum etiam: quia inſtrumentum debet eſſe quodammodò proportionatum effectui cauſæ principalis: qua ratione aqua non concurrit inſtrumentaliter ad productionem gratię, niſi priùs elevetur per aliquam qualitatem ſpiritualem & ſupernaturalem fluidam: nec obiectum materiale concurrit inſtrumentaliter ad productionem noſtræ ſpeciei, niſi quodammodò depuretur à materia in phantaſmate, & vlterius elevetur per aliquam qualitatem derivatam ab intellectu agente: ergo obiectum materiale nequit concurrere inſtrumentaliter immediatè ad productionem ſpeciei angelicæ. *Maximè*: quia inſtrumentum agentis naturalis debet eſſe naturaliter vnitum paſſo, vel medio, per quod poſsit influxus eius & effectus deferri ad paſſum; ſed obiectum ſenſibile non eſt naturaliter vnitum intellectui angelico, nec eſt medium, per quod concurſus eius prærequiſitus, qui debet eſſe ſpiritualis, & itidem effectus ſpiritualis, videlicet, ſpecies, poſsit deferri ad intellectum angelicum: ergo. Ex his probatum manet, quòd obiectum ſenſibile nequit concurrere per modum cauſæ minùs principalis. Id, quod evaſio tangit de anima ſeparata, eſt contra D. Thomam in hac 1. part. quæſt. 89. per totam.

§ II.

Aſſertio ſecunda circa ſpecies rerum ſpiritualium.

43 Dicendum eſt *ſecundò*; Angelum non accipere ſpecies ab obiectis immaterialibus. Hæc aſſertio eſt non minùs expreſſa D. Thom. ac præcedens: Eam enim apertè tradit in hac 1. part. quæſt. 55. art. 2. his verbis: *Vnicuique ſpiritualium creaturarum à Verbo Dei impreſſę ſunt omnes rationes rerum omnium tàm corporalium, quàm ſpiritualium.* Et quæſt. 8. *de Verit.* art. 7. ait: *Vnde alius modus eſt eligendus, vt dicatur, quòd vnus Angelus alios cognoſcit per ſimilitudines eorum in intellectu eius exiſtentes: non quidem abſtractas aut impreſſas ab alio Angelo, vel aliquo modo acquiſitas, ſed à creatione divinitùs impreſſas; ſicut & res materiales per huiuſmodi ſimilitudines cognoſcit.* Angelicum Pręcept. ſequuntur tàm in hac, quàm in pracedenti aſſertione omnes eius diſcipuli, & plures alij extra eius Scholam.

Et probatur ratione eiuſdem Angelici Mag. quam adducit in præſ. Nam idem ordo ſervandus eſt inter ſubſtantias intellectuales & immateriales, qui ſervatur inter corporeas: nam *Inviſibilia Dei* (& Angelorum) *per ea, quæ viſibilia ſunt, intellecta conſpiciuntur*, vt inquit Apoſt. ſed in corporalibus cœleſtia habent ab initio totam ſuam perfectionem per formam inamiſsibilem, ſecùs verò ſublunaria, quæ de vna in aliam formam tranſmutantur: ergo ſimiliter inter ſubſtantias ſpirituales inferiores ſubſtantiæ, vt ſunt animæ, debent ſucceſsivè recipere ſpecies ſeu formas intelligibiles; ſuperiores verò, ſcilicèt Angeli, illas debent habere ab initio ſuæ conditionis. Maior eſt certa: minor evidens. Et conſequentia legitima: ſicut enim ſe habet materia ad formam in *eſſe* entitativo, ita ſe habet intellectus ad ſpecies in *eſſe* intelligibili.

44 Nec refert, ſi dicas *primò*, quòd ſi hæc ratio convinceret, probaret vtique, Angelum eſſe ſemper in actuali cognitione omnium obiectorum, ſicut materia prima cœli eſt ſemper cum ſuo actu ſecundo, nempè exiſtentia.

Non (inquam) hoc refert: Nam proportio requiſita & exacta inter Angelos & corpora cœleſtia debet explicari penes id, in quo corpora cœleſtia diſtinguuntur à ſublunaribus: ſed corpora cœleſtia conveniunt cum ſublunaribus in hoc, quòd ſemper ſunt in actu exiſtentiæ: ergo proportio inter Angelos, & corpora cœleſtia ſolùm debet explicari penes formas ſubſtantiales iſtorum, & penes formas intelligibiles eorum.

45 Nec refert, ſi dicas *ſecundò*, quòd ex ratione D. Thomæ potiùs ſequitur oppoſitum: cùm corpora cœleſtia ſint in potentia ad recipiendam aliquam formam accidentalem, nempè lucem à Sole, & virtutem cauſandi in hęc inferiora ab aliquo agente extrinſeco, videlicet ab Angelo.

Nec hoc refert: Nam ſicut materia prima eſt pura potentia in *eſſe* entitativo, etiam intellectus eſt pura potentia in *eſſe* intelligibili: ergo comparatio debet ſtare in formis, quæ ſunt primæ reſpectu vtriuſque; ſed forma prima materiæ in *eſſe* entitativo eſt ſubſtantialis, & intellectus eſt ſpecies intelligibilis: ergo proportio inter Angelos, & corpora cœleſtia debet explicari in formis ſubſtantialibus illorum, & ſpeciebus intelligibilibus illorum.

46 Nec refert, ſi dicas *tertiò*, eſſe notam diſparitatem inter formas ſubſtantiales corporum cœleſtium, & ſpecies Angelorum: quia formæ ſubſtantiales non poſſunt cauſari adhùc divinitùs ab agente creato, ideoque à ſolo Deo petunt produci & conſervari: at ſpecies intentionales Angelorum poſſunt nedum ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter produci ab Angelo cognoſcente & ab obiecto, maximè ſi obiectum ſit alius Angelus. Et cùm Deus cauſet effectus creatos medijs cauſis ſecundis, ſi in his eſt virtus producendi illos, ne dicatur virtutem earum eſſe otioſam; inde eſt, ſpecies angelicas rerum ſpiritualium non petere infundi à Deo.

Non (inquam) refert: Nam hæc evaſio, quæ eſt præcipua Scoti, ſatis impugnata manet ex dictis tàm dubio præcedenti, quàm in hoc dubio, ſuperiori §. Et poteſt ex ibi dictis iterum refelli: Nam Angelus cognoſcendus per ſe ſolùm non poteſt eſſe cauſa principalis producens ſpeciem in intellectu Angeli cognoſcentis; neque Angelus cognoſcens ſolus poteſt principaliter educere ab Angelo cognoſcendo talem ſpeciem: neque vterque Angelus poſſunt concurrere vt cauſæ partiales: ergo oportet, quòd infundantur à Deo. Antecedens quoad primam partem probatur: Tum, quia ſi Angelus cognoſcendus per ſe ſolus produceret ſpeciem ſui in Angelo cognoſcente, Angelus cognoſcens ſubordinaretur Angelo cognoſcendo; ſed licèt hoc non repugnaret Angelo cognoſcenti inferiori; repugnat tamen Angelo ſuperiori: ergo Angelus, maximè inferior, non poteſt producere ſpeciem ſui in alio Angelo cognoſcente, maximè ſuperiori. Tum etiam: nam vt vnus Angelus producat ſpeciem ſui in alio, requiritur vnio per intimum illapſum; ſed hæc repugnat: ergo. Tum denique: nam ſpecies recepta in Angelo cognoſcente debet eſſe omninò proportionata cum eo, debetque convenire cum eo in immaterialitate, non ſolùm quoad gradum, ſed etiam quoad modum habendi eam; ſed ſpecies proveniens immediatè ab Angelo cognoſcendo non eſt huiuſmodi, quia hæc eſt proportionata omnimode cum Angelo cognoſcendo, & Angelus cognoſcendus vel excedit, vel exceditur in modo habendi immaterialitatem ab Angelo cognoſcente: ergo. *Adde*: quia explicatu eſt difficile, an illam produceret neceſſariò, vel liberè, vt intuenti patebit. Ex his probatum manet idem antecedens quoad ſecundam partem.

Probatur denique primum antecedens quoad tertiam partem: Nam (pręterquamquòd non facilè poteſt explicari, an Angelus cognoſcens ſit cauſa principalior, aut minùs principalis, aut æquè principalis cum Angelo cognoſcendo) concurſus vtriuſque vel vnirentur inter ſe immediatè, vel in tertio; neutrum dici poteſt: non primum, quia ad hoc neceſſaria eſt intima & immediata colligatio vtriuſque, quæ eſt impoſsibilis: nec ſecundum, quia nullum eſt medium, in quo poſsint vniri: ergo neque poſſunt concurrere vt cauſæ partiales ad productionem ſpeciei.

Hinc colligitur; quòd licèt ſpecies angelica poſsit produci inſtrumentaliter in virtute Dei vel ab Angelo cognoſcente, vel ab obiecto cognoſcendo, vel ab vtroque ſimul; non tamen per modum cauſæ principalis, adhuc inſpecta potentia Dei abſoluta, propter motiva hucuſque ponderata.

§. III.

Argumenta contra primam aſſertionem.

47 Opinionem vtrique concluſioni oppoſitam præcipuè defendit cum omnibus ſuis diſcipulis Scotus in 2. diſt. 3. q. 11. quatenus aſſerit, Angelum accipere, vel poſſe accipere tam ab obiectis ſenſibilibus, quàm à ſpiritualibus ſpecies eorum in particulari: quamvis ſupponat habere per infuſionem à Deo ſpecies rerum in vniverſali. Argumenta circa ſpecies rerum materialium proponemus in hoc §. alia circa ſpecies rerum ſpiritualium reſervabimus, claritatis gratia, ſequenti.

Arguitur ergo *primò*: Nam phantaſma talem proportionem habet cum intellectu agente, vt hic poſsit ab eo immediatè abſtrahere ſpeciem: ergo etiam obiectum externum habet proportionem, vt ab eo poſsit Angelus eruere ſpeciem. Probatur conſequentia à paritate: nam ideò obiectum externum non eſſet proportionatum, quia eſt quid materiale; ſed etiam phantaſma eſt quid materiale, & in organo corporeo extenſum: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo antecedens; ſed negando conſequentiam, ob multiplicem rationem diſparitatis tactam num. 42. Nam phantaſma, quamvis ſit quid materiale; eſt tamen ex vna parte quodammodò ſpiritualizatum & ſine materia phyſica; & ex alia non concurrit niſi inſtrumentaliter cum intellectu agente, & vt elevatum ab eo, cum quo vlterius habet debitam colligationem & vnionem. At obiectum materiale externùm in ſeipſo nullo modo eſt proportionatum, nec vnitum cum intellectu angelico.

48 Arguitur *ſecundò* (& erit replica contra prædictam ſolutionem) Nam quamvis obiecta ſint materialia, hoc non impedit, quin poſsint ſaltem partialiter per modum cauſæ minùs principalis concurrere ad impreſsionem ſpeciei in intellectu angelico. Probatur: nam ad producendum aliquem effectum non requiritur, vt omnes concauſæ ſeorſim ſumptæ ſint eiuſdem perfectionis cum effectu, ſed ſufficit, ſi aggregatum ſit eiuſdem perfectionis cum illo: & ita videmus, quòd ſpecies non eſt eiuſdem perfectionis cum intellectione; & tamen vnà cum intel-

tellectu concurrit principaliter ad eam: ergo. Hoc argumentum adducit Scotus 2. diſt. 3. q. 11. lit. C. & confirmat in intellectu elevato lumine gloriæ, vel vnito eſſentiæ divinæ per modum *ſpeciei*.

Reſpondetur, quòd omnis cauſa principalis, ſivè ſit magis vel minùs principalis, ad producendum aliquem effectum, debet eſſe æqualis perfectionis cum effectu ſecundùm eam rationem, qua producitur à tali cauſa. Neque huic doctrinæ refragatur exemplum ſpeciei: nam ſpecies concurrit vt cauſa principalis, imo vt magis principalis, ad intellectionem ſumptam ſecundùm ſpeciem: ſpecies enim intellectionis perfectè continentur in ſpecie intelligibilis. Ad alias formalitates, putà vitalitatem, & formalitatem vnionis, ideò concurrit vt cauſa principalis, quia ipſa eſt vnio obiecti cum potentia in actu primo, & ſimul eſt vitalis per modum determinationis. Obiectum verò materiale nullo modo poteſt præcontinere ſpeciem ſpiritualem. Exemplum ſecundum nullam habet vim in noſtra ſententia, iuxta quam lumen glorię eſt tota ratio agendi ſe tenens ex parte potentię.

49 Arguitur *tertiò*: Angelus non habet ſpecies ſingularium materialium per infuſionem: ergo accipit eas ab ipſis ſingularibus. Antecedens probatur: nam Angelus per ſpecies vniverſalium non cognoſcit perfectè ſingularia: ergo vel aſſerendum eſt non habere ſpecies ſingularium materialium per infuſionem; vel fatendum habere ſpecies innitas in actu.

Confirmatur *primò*: Per ſpecies infuſas nequit Angelus cognoſcere complexiones contingentes: ergo ſaltem ſpecies earum accipit ab illis immediatè. Antecedens probatur: Nam ſpecies Petri exiſtens in Angelo non eſt magis determinata ad reprę́ſentandum Petrum, dum ſedet, & prout ſedet, quam ad repræſentandum ipſum, dum non ſedet, & prout non ſedet: ergo ſpecies infuſa non repræſentat complexiones contingentes. Idem argumentum poteſt efformari circa actus liberos voluntatis alienæ.

Confirmatur *ſecundò*: Angelus poteſt cognoſcere intuitivè ſingularia materialia; ſed non poteſt per ſpecies infuſas ab initio ſuę conditionis: ergo per acceptas à rebus ipſis. Minor probatur: Notitia intuitiva determinatè fit per ſpeciem repræſentantem obiectum vt præſens & exiſtens; ſed ſpecies infuſa non repræſentat determinatè obiectum vt exiſtens: ergo Angelus non habet notitiam intuitivam per ſpeciem infuſam.

Ad hoc argumentum ſimul cum confirmationibus patebit ex infrà dicendis.

*** *** ***

§. IV.

Argumenta contra ſecundam aſſertionem.

50 Arguitur *quartò* (& erit primum argumentum circa ſpecies rerum ſpiritualium) D. Thomas quæſt. *de Anim.* art. 18. ad 13. ait, quòd animæ ſeparatæ infunduntur ſpecies mediantibus Angelis: ergo pariter mediante vno Angelo poteſt infundi ſpecies in alium. ¶ Et confirmatur: Nam in 2. diſt. 8. quæſt. 1. art. 5. ad 6. inquit: *Sed boni Angeli etiam directè in intellectu imprimere poſſunt; quia ſecundùm Auguſt.* lib. 1. *de Civit. De*, cap. 16. *operantur in intelligentias noſtras miris modis.*

Ad argumentum multipliciter reſpondent Noſtrates. Primò enim reſpondent nonnulli, D. Thomam 1. part. quęſt. 89. per totam, maximè art. 1. ad 3. retractaſſe ſententiam, quam tenuit loco citato. Alij dicunt, quòd ſpecies non infunduntur animabus ſeparatis mediantibus Angelis, itaut effectivè cauſentur ab Angelis, ſed tantùm exemplariter, quatenus ad imitationem earum, quæ ſunt in Angelis, effectivè producuntur, & infunduntur à Deo. Alij cum Liſbonienſi reſpondent, D. Thomam non loqui in prædicto teſtimonio de infuſione ſpecierum quoad ſubſtantiam, ſed quantùm ad aliquam perfectionem diſpoſitionis & ordinationis eiuſmodi ſpecierũ, cauſatam per extrinſecam & diſtinctam propoſitionem obiecti clariori & ſuperiori lumine Angeli illuſtrati: ſicut ſi à Magiſtro per extrinſecam obiectorum propoſitionem ordinarentur ſpecies in mente diſcipuli iam exiſtentes.

Vel poteſt reſponderi, quòd illa infuſio ſpecierum mediantibus Angelis fit ab illis per modum inſtrumenti & in virtute divina. Ducimur ad hanc interpretationem ex eo, quòd Angelicus Doctor eodem modo loquitur de ſpeciebus ſupernaturalibus, ac de naturalibus; conſtat autem, Angelum non poſſe ſpecies ſupernaturales infundere animæ ſeparatæ per modum cauſæ principalis: ergo adſummùm loquitur de mediatione per modum inſtrumenti. *Maximè*: Quia anima noſtra eſtò perfectiori modo intelligat in ſtatu ſeparationis, quàm pro hoc ſtatu; imperfectiori tamen quàm Angelus, vt tradit D. Thomas loco allegato ex 1. part. Hoc tamen diſcrimen nequit meliùs explicari, quàm per hoc quòd Angelus habeat ſpecies à Deo nullo mediante inſtrumento, anima verò mediantibus Angelis vt inſtrumentis. Nam ſicut anima rationalis pro hoc ſtatu accipit ſpecies ab intellectu agente vt à cauſa principali, ſed medio phantaſmate vt inſtrumento; ita poteſt dici, quòd in

in ſtatu ſeparationis accipit ſpecies à Deo tanquàm à cauſa principali, medijs Angelis vt inſtrumentis. Sic enim explicatur maior perfectio animæ in habendo ſpecies pro ſtatu ſeparationis, quam pro ſtatu coniunctionis; & minor, quam habet Angelus: quia, vt optimè novit Caiet. loco ſuprà relato ex 1. part. §. *Ad hoc breviter dico* in fin. *Cæteris paribus modus agendi ſine inſtrumento eſt nobilior modo agendi quàm cum eo. Vnde laudamus artifices, qui paucioribus inſtrumentis rem perficiunt, & multò magis ſi cum vno, & ſi cum nullo.* Per quod conſtat ad confirmationem conflatam ex authoritate Div. Auguſt. & D. Thomæ.

51 Arguitur *ſecundò*: Angelus habet virtutem naturalem producendi ſpeciem ſui in intellectu: ergo eam producere poteſt in intellectu angelico: ergo defactò intellectus angelicuş accipit tales ſpecies ab obiectis immaterialibus. Hæc vltima conſequentia eſt legitima: nam ordo naturalis providentię petit, vt ea, quæ per creaturas produci valent, per illas & non immediatè ab Authore naturæ producantur. Antecedens verò probatur: Nam obiectum ſenſibile habet virtutem naturalem producendi ſpeciem ſui in potentia ſenſitiva ſibi proportionata: ergo etiam obiectum ſpirituale, videlicet Angelus, habet virtutem producendi ſpeciem ſui in potentia ſibi proportionata, qualis eſt intellectus angelicus.

Confirmatur *primò*: Ideo obiectum ſenſibile poteſt producere ſpeciem ſui in potentia ſenſitiva, quia eſt ſenſibile in actu; ſed non eſt ratio, cur Angelus non ſit intelligibilis in actu: ergo poteſt producere ſpeciem ſui in potentia ſibi proportionata. ¶ Confirmatur *ſecundò*: Nam iuxta D. Thomam quæſt. 5. *de Pot.* art. 8. obiectum ſenſibile habet immittere ſpeciem in ſenſum aut intellectum ex participatione ſubſtantiarum ſeparatarum: ergo multò magis Angeli habebunt virtutem naturalem producendi ſpecies ſui in intellectu angelico.

52 Ad argumentum reſpondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem, conceſſo antecedenti; neganda eſt conſequentia. Et ratio diſparitatis eſt: quia obiectum ſenſibile habet hanc virtutem, ex eo quòd eſt obiectum potentiæ, quæ ob ſui imperfectionem eſt apta recipere ſpecies, ſucceſſivè; & quia adeſt medium, per quod diffundatur ſpecies. Vtrunque deficit Angelo, vt ex ſuprà dictis patet. Ideoque ſivè ſit actu intelligibilis, ſivè non, non poteſt diffundere ſpeciem ſui in intellectu alterius Angeli. Per quod patet ad primam confirmationem.

Ad ſecundam reſpondetur, negando imprimìs, quòd obiectum ſenſibile habeat immittere immediatè ſpeciem ſui in intellectum ſivè Angeli, ſivè hominis ex participatione ſubſtantiarum ſeparatarum: quia nullum obiectum materiale habet immediate immittere ſpeciem niſi in ſenſum; phantaſma verò in virtute intellectus agentis producit ſpeciem in intellectu noſtro. Vnde obiectum ſenſibile ſolùm habet ex participatione ſubſtantiarum ſeparatarum immittere ſpeciem in ſenſum. Ad cuius intellectum duo ſunt conſideranda: primum eſt ipſa productio ſpeciei, & diffuſio illius per medium, & repræſentatio diſtincta naturæ corporeę: aliud eſt, quòd hæc diffuſio fiat modo perfectivo & non corruptivo, & modo immaterialiori, quem obiectum non habet in ſeipſo. Primum non participant corpora à ſubſtantijs ſeparatis; benè verò ſecundum: quia ſubſtantiæ ſeparatæ habent agere in corpore modo purè perfectivo, & nullatenus corruptivo: & ſic ſcimus Angelum, movere corpora cœleſtia non illa corrumpendo, ſed merè perficiendo. Et hoc eſt, quod intendit D. Thomas in loco citato.

Neque ex dictis in hac ſolutione inferas, Angelum eſſe minoris efficacię quam obiectum ſenſibile: quia Angelus per ſeipſum eſt principium perfectioris operationis, dum per modum *ſpeciei* concurrit ad cognitionem ſui cum proprio intellectu; & hoc ſufficit, vt ſit abſolutè efficacioris virtutis quam obiectum ſenſibile, quamvis iſtud poſsit immittere ſpeciem ſui, & non Angelus.

53 Arguitur *tertiò*: Angelus poteſt virtute divina immittere ſpeciem ſui in intellectum alterius: ergo etiam virtute propria. Conſequentia probatur: Ideo non poſſet immittere ſpeciem ſui in intellectum alterius, quia non poteſt illi intime illabi; ſed ex vi huius capitis non repugnat, quòd illam immittat virtute propria: ergo. Minor probatur: nam Angelus, ſi poteſt immittere ſpeciem ſui vt inſtrumentum Dei, etiam debet habere actionem aliquam præviam, ad quam concurrat virtute propria, & vt cauſa principalis: ergo media hac actione debet producere aliquem effectum in paſſo: inquirimus ergo, vel ad hunc effectum producendum datur intimus illapſus, vel non? Si dicatur primum: ergo iam datur vnio ſufficiens ad diffuſionem ſuę ſpeciei: Si dicatur ſecundum: ergo non requiritur intimus illapſus ad diffundendam ſpeciem ſui in intellectum alterius.

Nec refert, ſi dicas, quòd in inſtrumento divinę virtutis, maximè quando eſt agens per actionem immanentem, non eſt neceſſe, quòd effectum prævium producat in paſſo principali: quia benè poteſt effectus prævius recipi in vno ſubiecto, & effectus principalitèr intentus in alio. Non (inquam) refert: Nam ignis inferni media calefactione naturali eſt inſtrumentum Dei ad torquendos dæmones & animas; ſed calefactio & eius effectus nequeunt recipi in ipſo igne: ergo iam agens corporeum poteſt virtute propria agere in ſpiritu: ergo potiori titulo agens ſpirituale. Minor, in qua tantùm poteſt

teſt eſſe difficultas, conſtat: quia calefactio eſt actio formaliter tranſiens.

54 Ad hoc argumentum reſpondetur *primò*, ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum datam. Ad eius verò replicam poteſt dici *primò*, quòd nomine *actionis* in inſtrumento requiſitæ non ſemper debet intelligi actio rigoroſa, ſed ſufficit ſimilitudinaria, habens propriè rationem paſsionis. Sic docent N. Complut. antiq. in Phyſic. diſp. 12. num. *66.* Et iuxta hanc doctrinam illa capacitas & aptitudo paſsiva, quam habet ignis, vt ſpirituales ſubſtantiæ ſibi vniantur, ſe habet per modum actionis prævìæ, quin oporteat nos reccurrere ad calefactionem.

Sed quia N. Salm. tract. 13. diſp. 18. num. 45. non excludunt totaliter calefactionem à ratione actionis prævìæ, quando ignis torquet dæmones: Aliter reſpondetur dicendo, quòd eſtò ignis ſit inſtrumentum Dei ad eos torquendos, non ſequitur aliquid producere in illis virtute propria; nec ſequitur, actionem præviam recipi in eis, cùm nulla qualitas corporea poſsit recipi in ſubiecto purè ſpirituali. Aliunde poteſt ſufficienter deſignari aliud ſubiectum proportionatum, in quo recipiatur, nempe, aër circunſtans. Quod clarum fiet, ſi recurramus ad dæmones, qui ſunt in hoc noſtro aëre, qui abs dubio torquentur ab igne inferni; & tamen calefactio non pervenit ad illos, nec ad noſtrum aërem. Totum hoc fundatur in illo generali principio, quod in inſtrumento divinæ virtutis, licet actio prævia prerequiratur in principio, vt actio Dei modificetur, non tamen requiritur, quòd illam deferat vſque ad paſſum principale: quia Deus poteſt ſupplere ad ſuam actionem principalem quancunque diſtantiam.

§. V.

Plura corollaria.

55 EX dictis in hoc dubio infertur *primò*, Angelum non habere intellectum agentem & poſsibilem, ſive vterque diſtinguatur, ſivè non. Hoc corollarium, præterquamquòd eſt D. Thom. 2. Contra gent. cap. *96.* & in hac 1. part. quæſt. 54. art. 4. facilè ſuadetur ex dictis: Nam vbi naturaliter repugnat actio alicuius potentię, etiam repugnat ipſa potencia; ſed propria operatio intellectus agentis eſt abſtrahere ſpecies, quæ Angelo repugnat: ergo etiam repugnat intellectus agens. Ex quo probatur repugnantia intellectus poſsibilis: Nam iſte dicitur talis per ordinem ad intellectum agentem; ſed vbi repugnat potentia activa, etiam repugnat paſsiva: ergo ſi in Angelo non datur intellectus agens, nec debet dari intellectus poſsibilis. *Explicatur*: Nomine *intellectus poſsibilis* non intelligimus potentiam receptivam ſpecierum vtcunque, ne ſit quæſtio de nomine, ſed quæ à principio ſit tanquam tabula raſſa, & quæ naturaliter petat aliam potentiam, cuius officium connaturale ſit abſtrahere ſpecies ab obiectis; ſed intellectus Angeli petit connaturaliter ob ſui immaterialitatem eſſe ab initio cum omnibus ſpeciebus, neque poteſt eſſe in eo potentia activa naturaliter abſtrahens ſpecies: ergo.

56 Sed objicies argumento principali Scoti: Magna perfectio eſt in anima noſtra habere intellectum agentem: ergo non eſt Angelo denegandus. Conſequentia probatur: nam perfectiſsima creatura debet habere eam perfectionem, quæ eſt in inferiori. ¶ Et confirmatur: Nam ſi Angelus produceretur à Deo ſine vllis ſpeciebus, homo eſſet nobilioris conditionis quàm Angelus, quia homo haberet potentiam ad acquirendas ſibi ſpecies, ſecùs verò Angelus.

Ad obiectionem reſpondetur, illas perfectiones, quæ in inferiori virtute reperiuntur, inveniri in ſuperiori, ſi non dicunt imperfectionem proportionatam & exactam ab inferiori, ſecùs verò ſi illam important. Sic *diſcurrere* eſt perfectio elevata à natura brutorum; at dicit imperfectionem exigentem determinatè naturam intellectivam humanam, quæ eſt infima inter intellectuales, & hac ratione repugnat ſuperiori. Abſtrahere ergo ſpecies ab obiectis eſt perfectio naturæ humanæ, ſed ſupponit imperfectionem exactam à ſua natura, nempè eſſe in pura potentia in linea intelligibili ob ſui infimam immaterialitatem inter naturas intellectuales: quare taliter concedendus eſt ei intellectus agens, quòd negari debeat Angelo.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd adhuc in illa hypotheſi Angelus eſſet perfectioris conditionis ſimpliciter quàm anima noſtra, licèt hæc eſſet perfectioris conditionis ſecundumquid: Nam natura angelica petit connaturaliter habere omnes ſpecies rerum per infuſionem à Deo; & ſi Deus non illas infunderet, Angelus eſſet in ſtatu violento. Vnde exigentia illa ſpecierum elevat naturam angelicam ſupra conditiones naturæ humanæ.

57 Infertur *ſecundò*, Angelum non poſſe eſſe in anima noſtra, aut in alio Angelo tanquam in loco. Ratio ex dictis evidenter colligitur: nam Angelus eſt in loco per operationem; ſed Angelus naturaliter loquendo nequit operari in anima noſtra, aut in alio Angelo: ergo non poteſt eſſe in anima noſtra, nec in alio Angelo tanquàm in loco.

Sed objicies ex illo Tob. 8. vbi dicitur, quòd Angelus Raphaël religavit dæmonium in deſerto ſuperioris Ægypti: ergo vnus Angelus habet activitatem in alium. Sed ad hoc facilè reſpondetur ex dictis, quòd hæc alligatio facta fuit à Raphaële vt ab inſtrumento Dei.

58 Infertur *tertiò*, vnum Angelum, dum

alium

alium illuminat, aut loquitur illi, non producere in illo aliquam qualitatem aut ſpeciem. Hoc corrollarium expreſsè deducitur ex D. Thoma infrà quæſt. 106. art. 1. ad 2. vbi ait: *Vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ.* Hæc de illuminatione. Circa locutionem idem tradit q. *9. de Verit.* art. 4. & 5. his verbis: *Dicendum; quòd Angelus loquens nihil facit in Angelo, cui loquitur.* Ratio huius doctrinæ eſt communis cum præcedentibus.

Sed oportet explicare in quo conſiſtat locutio, in quove illuminatio. Igitur dicendum eſt *primò*, quòd locutio conſiſtit in conceptu interno Angeli loquentis, ſecundùm quòd ordinatur, & dirigitur per eius voluntatem ad eum, cui loquitur. Ita D. Thomas quæſt. *9. de Veritat.* art. 4. & infrà quæſt. 107. art. 1. Pro quo ſciendum, eſt, quatuor conditiones requiri ad loquendum: prima, quòd loquens habeat internum ſecretum, quod exteriùs manifeſtetur; aliàs ſemper occultum maneret. Secunda, quòd excitetur audiens, vt loquenti attendat: quia ſurdo, & non attento non communicatur cogitatio. Tertia, quòd poſſet fieri vni prę alio: quia alias tolleretur omnis ſocietatis comercium, ſi loquens vni, teneretur omnibus ſua cogitata privata exprimere. Quarta, vt poſsit mentiri, vt dæmon ſœpè mentitur, quia ab initio fuit mendax.

Omnes hæ conditiones ſalvantur per hoc præcisè quòd vnus Angelus dirigat ſuum conceptum ad alterum. Nam imprimis per directionem extrinſecam ponitur intimus loquentis conceptus intra latitudinem pertinentium ad eum, cui loquitur. Deinde excitatur audiens ad auſcultandum: quia tunc ſpecies innata Angeli, ad quem ordinatur, repræſentat conceptum illum explicitè. Inſuper ſalvatur ratio ſecreti reſpectu aliorum: quia Angelus loquens dirigit conceptum ad quem vult, & conſequenter erit manifeſtus reſpectu huius, & occultus reſpectu aliorum. Tandem ſalvari poteſt deceptio & mendacium: quia dæmon (v.g.) formato in ſe conceptu, & non directo ad alium, poteſt formare alium ad eum directum, quo neget ſe habere illum non directum, aut affirmet ſe habere oppoſitum; in quo caſu evidens eſt, quòd aliud manifeſtabit ei, quàm illud quod habet in mente; ſubindeque ei mentietur.

59 Dices: Ipſa ordinatio eſt actus internus & occultus: ergo per ipſum non manifeſtatur ſecretum. || Reſpondetur, illam ordinationem eſſe formaliter internam & occultam, virtualiter tamen tranſeuntem & externam: quia tollit morale impedimentum, quo occultatur conceptus, qui per illam incipit pertinere ad Angelum, ad quem ſermo dirigitur, nec amplius eſt vnicè ſub iure & dominio cognoſcentis. Sed de hoc plura dicemus infrà, dum de ſecretis cordium ſermo inſtituatur.

60 Replicabis: Eſtò poſita ordinatione incipiat ſpecies repręſentare conceptum, non propterea excitatur Angelus audiens ad audiendum: nam eo modo repręſentant ſpecies conceptum ſuppoſita ordinatione, quo repræſentant futura, poſita pręſentia; atquì Angelus non tenetur attendere ad omnia præſentia: ergo neque per ſolam ordinationem excitabitur audiens ad hoc, vt attendat Angelo loquenti: ergo aliquo alio opus eſt, vt vrgeatur ad audiendum.

Reſpondetur, Angelum audientem non indigere ad audiendum, niſi lumine, ſpecie, & cognitione; lumine & ſpecie ſe habentibus ex parte actus primi, & cognitione ex parte actus ſecundi. At nec lumen, nec ſpecies adveniunt ei de novo, quia ab initio communicata ſunt à Deo. Verum eſt, quod indiget aliqua motione ex parte Dei; ſed ad hoc ſufficit concurſus generalis, cùm ipſa ſuavis providentia connaturalis exigat, quòd dum vnus loquitur, alter moveatur ad audiendum & attendendum, vt ita habeant inter ſe politicam, communem, & ſocialem vitam.

61 Dicendum eſt *ſecundò*, illuminationem conſiſtere in quodam magiſterio artificioſo extrinſeco, quo Angelus ſuperior veritatem, quam in vniverſali concipit, & à Deo participat, diſtinguit, dividit, & quaſi maſticatam & partitam communicat inferiori, vt illam diſtinctè percipiat. Ita D. Thomas infrà quęſt. 106. art. 1. & quęſt. 9. *de Verit.* art. 1. Ex quo colligitur *primò*, omnem illuminationem eſſe locutionem, non tamen econtrà. Vnde Angelus inferior poteſt loqui ſuperiori, non verò illum illuminat: Angelus verò ſuperior loquitur, & illuminat inferiorem; non tamen ſemper ac loquitur, illum illuminat, ſed quando veritatem ignotam tàm Angelo ſuperiori, quàm inferiori Deus immediatè manifeſtat ſuperiori, & ille Angelo inferiori immediato, & ſic de reliquis. Nulli tamen infunditur de novo aliquod lumen, quia ab initio Deus communicavit eis ſufficiens lumen & ſpecies ad omnem illuminationem in rebus naturæ, gratiæ, & gloriæ.

§. VI.

Cuidam interrogationi fit ſatis.

62 INquires: An ſpecies angelicæ fluant ab eius natura tanquam veræ paſſiones? ¶ Reſpondetur negativè cum Ferrara, Zumele, Lezana, Liſbonienſi, Gonet, N. Salm. in hoc tract. diſp. 5. dub. 4. & pluribus alijs tàm intra, quàm extra Scholam D. Thomæ: contra Capreolum, Caietanum, Bañez, Medinam, Ripam, Nazarium, Cabreram & alios.

Et probatur *primò* ex D. Thoma infrà q. 89. art. 1. ad 3. vbi ait: *Anima ſeparata non intel-*

ligit

ligit per ſpecies innatas : ſed per ſpecies ex influentia divini luminis participatas, quarum anima ſit particeps, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ. Et art. 3. in corp. *Anima ſeparata intelligit per ſpecies, quas recipit ex influentia divini luminis, ſicut & Angeli:* ergo iuxta D. Thom. Angelus non habet, ſicut nec anima, ſpecies congenitas, ſed infuſas à Deo per ſpecialem actionem.

Etiam probatur ratione deducta ex Div. Thoma in hac 1. part. quæſt. 56. art. 2. ad 4. Nam quælibet natura ex ſe & ab intrinſeco eſt determinata ad habendas has proprietates potius quàm alias, vt inductivè poteſt oſtendi in omnibus naturis creatis; ſed natura angelica non eſt determinata ad habendas has ſpecies potius quàm alias. ergo. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: Tum ex D. Thoma loco proximè citato, vbi ait: *Si Deus inſtituiſſet facere plures Angelos, plures ſpecies intelligibiles mentibus angelicis impreſsiſſet:* ergo natura angelica non eſt determinata ad habendas ſpecies determinatas. Tum etiam: natura angelica non eſt ex ſe & ab intrinſeco determinata ad habendas omnes ſpecies omnium rerum naturalium tàm pertinentium ad hoc vniverſum, quam poſsibilium; ſed idem dicendum eſt de ſpeciebus horum obiectorum potius quàm aliorum: ergo. Minor eſt certa: nam obiectum proportionatum naturæ angelicæ eſt omne ens naturale: vnde non eſt, cur ex natura ſua ſit determinata ad habendas ſpecies horum obiectorum potius quàm aliorum.

Maior verò probatur *primò*: Nam ſi haberet ſpecies omnium rerum naturalium, eſſent ſimpliciter infinitæ: quia cùm ſint poſsibiles infiniti Angeli ſuperioris nunc exiſtentibus, & pro vnoquoque illorum ſit neceſſaria ſpecialis ſpecies, vt infrà dub. ſeq. videbimus, oporteret, quòd haberet quilibet Angelus ſpecies infinitas in actu; ſed hoc repugnat: ergo non eſt determinata ad habendas ſpecies omnium rerum naturalium tàm pertinentium ad hoc vniverſum, quàm poſsibilium. *Secundò*: Nam latitudo entis naturalis continet perfectionem infinitam, hoc eſt perfectiones ſe excedentes in infinitum ſyncathegorematicè in perfectione eſſentiali: ergo ſi angelicus intellectus haberet ſpecies omnium rerum naturalium, oporteret, quòd actu haberet perfectionem ſimpliciter infinitam, ac proinde natura angelica, quæ radicaret huiuſmodi ſpecies, eſſet ſimpliciter infinita. Hæc ratio eſt adeo efficax, vt abſque alio examine præoccupet evaſiones Adverſariorum, ſi rectè perpendatur. Maximè ſi addatur, quòd quilibet Angelus ex nunc exiſtentibus eſt ſecundùm ſe capax, vt ſit pars huius vniverſi, & alterius vſque in infinitum.

63 Secundò probatur ratione deducta ex D. Thoma in hac 1. part. quæſt. 55. art. 1. quæ eſt maior confirmatio præcedentis: Nam ſi ſpecies angelicæ profluerent ab eſſentia Angeli tanquam veræ paſsiones illius, ſequeretur, quòd Angelus per ſuam ſubſtantiam poſſet cognoſcere clarè & diſtinctè omnia entia naturalia, maxime pertinentia ad hoc vniverſum; ſed hoc eſt contra D. Thomam loco proximè relato: & contra dicta dub. 1. huius diſput. ergo. Maior probatur: Angelus per ſuam eſſentiam poteſt comprehendere ſeipſum; ſed qui comprehendit eſſentiam, poteſt clarè & diſtinctè cognoſcere omnes ſuas proprietates: ergo cognoſceret clarè & diſtinctè omnes ſuas ſpecies: ergo etiam omnia obiecta per eas repręſentata, quæ ſunt omnia entia naturalia pertinentia ad hoc vniverſum. Patet hæc vltima conſequentia: nam cognitis ſpeciebus cognoſci poſſunt ex vi eiuſdem cognitionis omnia obiecta connaturaliter repræſentata.

64 Nec proderit dicere, quòd ſpecies angelicæ non ſunt proprietates niſi in *eſſe* entitativo. Non (inquam) proderit: Nam *eſſe* repræſentativum in ſpecie eſt per ſe primò intentum à natura, *eſſe* verò entitativum tantùm intenditur ſecundumquid & ſecundariò: ergo non ſtat, quòd ſpecies ſecundùm ſuum *eſſe* entitativum ſint proprietates naturæ angelicæ, & non ſecundùm ſuum *eſſe* repræſentativum. Adde *primò*: Nam *eſſe* entitativum & repræſentativum ſpeciei producuntur ex vi eiuſdem actionis: ergo vel non ſunt proprietates ſecundùm ſuum *eſſe* entitativum; vel ſunt ſecundùm ſuum *eſſe* repræſentativum. Adde *ſecundò*: Nam ſi ſpecies eſſent proprietates angelicę, hoc haberent, inquantùm ſunt principia operationum; ſed ſunt principia illarum ratione *eſſe* intentionalis: ergo ſecundùm *eſſe* intentionale ſunt proprietates; vel non ſunt vllo modo.

65 Nec vlterius proderit dicere, quòd licèt ſint proprietates ſecundùm vtrunque *eſſe*, non tamen ex vi cognitionis eſſentiæ perfectè cognoſci debent: quia non continentur niſi virtualiter in eſſentia. Non (inquam) proderit: Quia nulla eſſentia continet ſuas proprietates niſi virtualiter: ergo ex vi comprehenſionis eſſentiæ vel non cognoſcuntur vllæ proprietates; vel cognita comprehenſivè eſſentia Angeli à ſeipſo, debent ex vi huius cognoſci perfectè omnes eius ſpecies, ſi ſemel ſunt proprietates illius.

66 Objicies *primò*: D. Thomas quæſt. 55. art. 2. ſpecies angelicas vocat *formas illis connaturales*; ſed non poſſunt ſic appellari, ſi non ſunt veræ proprietates: ergo. Item infrà quæſt. 64. art. 1. probat, cognitionem naturalem dæmonum non eſſe ablatam per peccatum, quia ſequitur eorum naturam. Et ſuprà quęſt. 54. art 4. ait, quòd in Angelo non generatur ſcientia, ſed ei naturaliter adeſt: ergo ſpecies fiunt per reſultantiam.

Ad hanc obiectionem, prout deſumptam ex prima authoritate D. Thom. Reſpondetur concedendo maiorem, ſed negando minorem. Nam ſpecies angelicę triplici titulo ſunt Angelo connaturales, quamvis non ſint veræ proprietates illius: dicuntur enim primò *connaturales*: quia illas recipit in primo inſtanti ſuæ creationis. Secundò & magis ſtrictè, quia habet potentiam paſsivam connaturalem & proportionatam ad eas recipiendas, ſicut diaphanum reſpectu lucis. Vnde D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 5. ait, quòd motus cœli eſt illi naturalis, quia habet potentiam naturalem, nęcnon inclinationem innatam ad illum, eſtò proveniat ab extrinſeco. Tertiò & ſtrictiſsimè, quia Angelus eſt perfectiſsimus inter naturas intellectuales creatas, & gradum medium tenet inter hominem & Deum, & hac ratione petit habere ſpecies omnium rerum pertinentium ad hoc vniverſum.

Ad ſecundum teſtimonium: Reſpondetur, D. Thomam ſolùm velle, quòd cognitio naturalis & ſpecies conſequantur naturam angelicam conſecutione debiti, non emanationis; & quòd illi debeantur, conſtat ex proximè dictis. Ad *tertium*: Reſpondetur, intentum D. Thomæ ſolùm eſſe, quòd Angelus non habet ſcientiam & ſpecies per acquiſitionem & diſcurſum, quod verum eſt; ſed inde non infertur, eſſe veras proprietates illius.

67 Objicies *ſecundò*: Species angelicæ fiunt per actionem creativam Angeli: ergo oriuntur ab eius eſſentia, vt veræ paſsiones illius. Antecedens probatur: Tum; quia formæ, quæ ſunt debitæ in inſtanti creationis, petunt fieri per creationem, & non per eductionem; ſed ſpecies angelicę ſunt huiuſmodi: ergo. Tum etiam: quia formæ, quæ fiunt per eductionem, petunt fieri per tranſmutationem ſubiecti, licèt per accidens non detur ſemper actualis tranſmutatio; ſed ſpecies angelicæ non petunt, per ſe loquendo, fieri cum tranſmutatione ſubiecti, ſed potius oppoſitum, cùm petant connaturaliter produci in primo inſtanti creationis: ergo.

Et confirmatur: Quia nulla res patitur violentiam, per hoc quòd ſibi auferantur accidentia communia, ſed tantùm ſi auferantur propria; ſed ſi ab Angelo auferrentur ſpecies, pateretur violentiam: ergo ſunt rigoroſæ proprietates illius.

Ad obiectionem reſpondetur, negando antecedens. Ad primam eius probationem dicendum eſt, quòd permiſſo quòd formæ debitæ in inſtanti productionis rei petant fieri per actionem productivam rei, hoc debet intelligi de formis determinatis, quia proprietates cuiuslibet rei debent eſſe determinatæ, ſecùs verò quando natura non petit has formas potiùs quam alias. Natura verò angelica ex ſe non petit potius has ſpecies quàm alias: nam dato, quòd produceretur vt pars alterius vniverſi & non huius, debitæ ei fuiſſent ſpecies diſtinctæ ab eis, quas nunc habet; & tunc has non exigeret. Vnde ſignum eſt, quòd non petunt produci per creationem, licèt ſint ei debitæ in primo inſtanti ſuę creationis. Per quod conſtat ad ſecundam probationem.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd ex eo quòd natura angelica pateretur violentiam, ſi non infunderentur ei ab initio ſuę conditionis ſpecies omnium rerum pertinentium ad hoc vniverſum, non propterea haberet impetum activum ad eas; quod erat neceſſarium, vt haberent rationem rigoroſæ paſsionis: nam ad hoc vt aliquid patiatur violentiam, ſufficit quòd habeat aliunde exigentiam paſsivam: ſicut corpus cœleſte pateretur violentiam, ſi produceretur ſine motu, quamvis ad eum non habeat potentiam activam: & corpus vltimò organizatum pateretur violentiam, ſi ei non infunderetur ab extrinſeco anima, eſtò ad eius productionem non habeat potentiam activam.

68 Objicies *tertiò*: Nam ſi Angeli ſpecies non eſſent rigoroſæ paſsiones, homo eſſet perfectioris naturæ quam Angelus, quia ex proprijs poſſet reducere ſe in actum, ſecus verò Angelus; ſed hoc dici nequit: ergo ſunt rigoroſæ paſsiones. ¶ Confirmatur: Ex noſtra ſententia ſequitur, quòd ſi Deus crearet ſolum vnum Angelum, tunc non deberetur ei aliqua ſpecies accidentalis, quia non daretur aliud obiectum repræſentandum præter ſeipſum; hoc non debet admitti, alias intellectus angelicus maneret nimis coarctatus: ergo.

Ad obiectionem reſpondetur ex dictis num. 56. negando maiorem: Nam ex eo, quòd homo poſsit ſe reducere in actum educendo ſpecies per propriam potentiam activam, inferuntur plurimæ imperfectiones, quæ reddunt hominem imperfectiorem ſimpliciter. Nam infertur imprimis, quòd eius ſpecies non ſint æque vniverſales & immateriales quàm angelicæ. Deinde quòd non eſt ita in actu ſicut Angelus. Tandem quòd paulatim & ſucceſsivè acquirit ſpecies, Angelus verò ſimul eas haberet per infuſionem. Vnde quamvis in Angelo non ſit potentia activa ſuarum ſpecierum, adhuc petit ob ſui ſummam perfectionem illas habere ſimul per infuſionem; & hæc eſt abſolutè & ſimpliciter maior perfectio.

Ad confirmationem reſpondetur, concedendo ſequelam mai. Sed neganda eſt min. quia in prædicta hypotheſi non haberet Angelus exigentiam ad aliquam aliam ſpeciem. Sicut nunc tantùm habet exigentiam ad ſpecies repręſentantes omnes res huius vniverſi, & non ad ſpecies rerum poſsibilium.

*** *** *** ***

DUBIUM IV.

Vtrùm ſpecies Angeli ſint vniverſales in repræſentando?

NOmine *vniverſalis* non intelligimus id, quod quovis modo eſt vniverſale, ſicut Deus eſt vniverſalis in cauſando, quia omnes effectus producit vt cauſa vniverſaliſsima; & corpora cœleſtia effectus inferiores & ſublunares: quia ſpecies angelica non eſt cauſa vniverſalis activa effectuum, quos repręſentat. Nec poteſt intelligi ſicut natura comparata ad inferiora, poſtquàm abſtracta eſt à ſuis inferioribus beneficio intellectus agentis, quæ ſolet dici vniverſalis *in prædicando*: quia ſpecies hoc modo vniverſalis non repræſentat diſtinctè, ſed confuſè inferiora contenta ſub prædicta natura. Unde titulus quęſtionis debet intelligi de vniverſali in repræſentando, quatenus ita repræſentet aliquam naturam communem, vt ſimul repræſentet clarè & diſtinctè plures naturas in particulari contentas ſub ea.

Circa quam difficultatem duplex verſatur ſententia extremè oppoſita. Prima eſt Scoti 2. diſt. 3. quæſt. 10. §. *Iſta opinio*, & diſt. 9. quęſt. 2. §. *Contra iſta*, negantis poſsibilitatem ſpeciei repræſentantis clarè & diſtinctè plura obiecta diſparata, ſivè genere, ſivè ſpecie, ſivè numero diſtincta. Subtili Doctori ſuffragantur omnes eius diſcipuli. Alia eſt affirmativa, quam docet D. Thomas in hac 1. p. quæſt. 55. art. 3. quem ſequuntur omnes eius diſcipuli.

§ II.
Sententia D. Thomæ.

69 DIcendum eſt, ſpecies angelicas eſſe vniverſales in repræſentando; ac proinde vnam & eandem ſpeciem repręſentare clarè & diſtinctè plures naturas, ſivè numero, ſivè ſpecie, ſivè genere diſtinctas & diſparatas. Hæc concluſio probatur primò authoritate: Nam D. Dyoniſ. cap. 7, de Divin. nomin. ait: *In hoc animæ noſtræ inferiores ſunt Angelis, quòd nos per plura ſigna, illi autem per pauciora.* Idem tradit D. Thomas loco ſuprà relato, necnon quęſt. 57. art. 2. ad 3. vbi hæc habet: *Dicendum, quòd Angeli cognoſcunt ſingularia per formas vniverſales: quæ tamen ſunt ſimilitudines rerum & quantùm ad principia vniverſalia, & quantùm ad individuationis principia.* Hęc concluſio ſolet ſuaderi pluribus rationibus deſumptis ex D. Thoma; illas tamen breviter proponemus, quia vnica ſolutione enodantur à Scotiſtis.

Probatur ergo *primò* ratione: Nam Angelus eſt medius inter Deum, & animam noſtram: ergo oportet, quòd ſpecies in repræſentando medium teneant inter animam noſtram, & Deum; ſed Deus per vnicam ſpeciem vniverſaliſsimam, ſcilicet eſſentiam, cognoſcit ómnia, & anima noſtra quaslibet naturas in particulari cognoſcit per ſingulas ſpecies: ergo Angelus debet cognoſcere obiecta particularia per ſpecies vniverſales, & non adeò coaptatas cum naturis particularibus; nec adeò vniverſales, ſicut eſt eſſentia divina.

Probatur *ſecundò* ratione: Species angelicæ non ſunt deſumptæ à rebus, ſed immediatè exemplatę ab eſſentia divina; ſed ſpecies, quæ immediatè derivantur, & exemplantur à natura divina, poſſunt plures naturas clarè & diſtinctè repræſentare, ſicut ipſa eſſentia divina clarè & diſtinctè repræſentat omnes naturas creatas & creabiles: ergo ſpecies angelicæ ſunt vniverſales in repræſentando.

70 Probatur *tertiò*: Nam virtutes, quæ in inferioribus ſunt diviſæ, in ſuperioribus ſunt adunatæ; ſed ſpecies angelicæ ſunt ſuperioris ordinis, ſuperioriſque gradus, quàm ſpecies humanæ: ergo quæ in ſpeciebus humanis ſunt diſperſa, in angelicis debent eſſe vnita; ac proinde huiuſmodi ſpecies debent eſſe vniverſales. Maior, in qua tantùm poteſt eſſe difficultas, conſtat tum ex illo axiomate communi Dionyſ.: *Quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſunt vnita.* Tum inductive: nam obiecta, quæ per ſingulas ſpecies ſenſibus externis repræſentantur, per vnicam & vniverſaliorem ſpeciem ſenſibus internis repræſentantur. Tum denique à paritate: nam videmus, quòd omnia ea, quæ à diverſis potentijs, artibus, vel habitibus inferioribus attinguntur ſub diverſis ſpecificativis, attinguntur ſub vniverſaliori ratione à potentia, arte, aut habitu ſuperiori: ergo idem poteſt dici de ſpeciebus ſuperioris ordinis reſpectu ſpecierum ordinis inferioris.

Probatur *vltimò*: Perfectiſsimis creaturis vniverſi debet aſsignari modus perfectiſsimus cognoſcendi, dummodò ſit poſsibilis creaturæ; ſed modus intelligendi per ſpecies vniverſales in repræſentando eſt multò perfectior, quàm modus cognoſcendi per ſpeciem repræſentantem vnicam naturam in particulari; & aliunde hic modus cognoſcendi non includit aliquam implicationem, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit: ergo Angelo non eſt denegandus.

71 His omnibus rationibus vnica, vt diximus, occurrunt ſolutione Adverſarij, videlicet quòd huiuſmodi ſpecies vniverſalis in repræſentando eſt impoſsibilis; & aliunde maior perfectio in cognoſcendo, quam habet Angelus, ſatis elucet in eo, quòd cum maiori claritate cognoſcat omnia obiecta, quàm homo.

Sed hæc ſolutio funditùs evertitur hac ſequenti ratione, qua præfatæ rationes confirmantur, & roborantur: Nam ſpecies angelica eſt diſtincta ſpecificè à ſpecie humana, eſtque immaterialior immaterialitate quoad gradum; ſed hoc non poteſt ſtare, niſi ſpecies angelica eſſet vniverſalis in repræſentando, ſecùs verò humana: ergo ſpecies angelica eſt vniverſalis in repræſentando, itaut clarè & diſtinctè repræſentet plures naturas diſparatas in particulari. Vtraque præmiſſa indiget probatione. Probatur ergo priùs maior, quam negat Scotus: Nam intellectus angelicus eſt ſpecificè perfectior intellectu humano, eoque immaterialior immaterialitate quoad gradum: ergo etiam eius ſpecies debet eſſe diſtincta ſpecificè à ſpecie humana, eaque immaterialior immaterialitate quoad gradum. Antecedens videtur certum: Et poteſt oſtendi ex eo, quòd à qualibet natura, prout ſpecie diſtincta ab alia, debet dimanare aliqua proprietas ei proportionata: vnde cùm à natura angelica nequeant dimanare aliæ proprietates præter intellectum & voluntatem, inde eſt, quòd intellectus angelicus debet eſſe ſpecie diſtinctus ab intellectu humano. Conſequentia verò probatur: Nam quælibet potentia ſumit ſuam ſpeciem per ordinem ad formam, per quam primò & connaturaliter perficitur, vt inductivè patet in omnibus potentijs; ſed forma, per quam perficitur intellectus, eſt ſpecies intelligibilis: ergo ſi intellectus angelicus eſt ſpecificè perfectior intellectu humano, eoque immaterialior, etiam ſpecies eius connaturalis debet eſſe ſpecie perfectior ſpecie humana, eaque immaterialior.

72 Deinde probatur minor primi ſyllogiſmi: Nam diſtinctio ſpecifica nequit deſumi à maiori claritate in repræſentando idem obiectum; aliunde non eſt aſsignabile aliud caput, ratione cuius poſsit relucere diſtinctio ſpecifica, niſi vniverſalitas in repręſentando: ergo ſi ſpecies angelica eſt perfectior, ſpecificè, & immaterialior ſpecie humana, debet eſſe vniverſalis in repræſentando. Maior probatur: Nam vnus beatus elicit viſionem clariorem quàm alius; hoc non obſtanti, nec viſiones ſunt ſpecie diſtinctæ, nec lumina gloriæ, quæ ſunt earum principia: ergo diſtinctio ſpecifica ſpecierum nequit deſumi ex eo, quòd vna clariùs repræſentat idem obiectum, quàm alia.

Et confirmatur: Vnitas, vel diſtinctio inter ſpecies in *eſſe* repræſentativo debet deſumi ex vnitate, vel diverſitate obiecti per ſe primò repræſentati, quia ſpecies continet formaliter naturam obiecti, & reſpicit illud vt ſui menſuram: ergo vel ſpecies angelica, & humana nequeunt repræſentare idem obiectum formale; vel non debent diſtingui eſſentialiter, per hoc præcisè quòd vna repræſentet idem obiectum cum maiori claritate, quàm alia. *Adde*: Nam maior immaterialitas ſpecie diſtincta ab alia petit maiorem vniverſalitatem; ſed immaterialitas ſpeciei angelicæ eſt huiuſmodi, vt patet ex ſuprà dictis: ergo ſpecies angelica eſt vniverſalior, quàm ſpecies humana. Maior, in qua tantùm eſt difficultas, probatur, ſimulque explicatur: Nam materia eſt radix limitationis, & diviſionis: ergo immaterialitas ei oppoſita debet eſſe radix vnionis, ſimplicitatis, & vniverſalitatis: ergo maior immaterialitas eſt radix maioris vniverſalitatis: ergo ſi ſpecies angelica diſtinguitur in immaterialitate eſſentiali à ſpecie humana, debet eſſe vniverſalior, quàm illa.

§. II.
Sententia Scoti.

73 ARguitur *primò*: Quidquid eſt ratio repręſentandi diſtinctè plura, debet habere obiectum primum & adæquatum, in quo illa plura perfectè contineantur quoad eorum intelligibilitatem; ſed nulla ſpecies creata poteſt dari, quæ habeat vnum obiectum primarium, in quo plures quidditates diſparatæ perfectè contineantur ſecundùm eius intelligibilitatem: ergo implicat ſpecies, quę diſtinctè plura obiecta diſparata repręſentet. Minor eſt certa: cùm obiectum primarium ſpeciei creatæ ſit quid creatum; & nulla entitas creata contineat perfectè quidditates aliorum obiectorum. Maior verò, in qua eſt difficultas, probatur: Tum, quia vnitas ſpeciei in *eſſe* intentionali pendet eſſentialiter ex vnitate obiecti in *eſſe* reali: ergo ſpecies creata, vel non eſt ratio repræſentandi diſtinctè plures naturas diſparatas; vel debet repræſentare per ſe primò vnam naturam, quæ perfectè contineat alias. Tum etiam: nam ſpecies ſe habet ad obiectum ſicut menſuratum ad menſuram, ab eoque ſumit ſuam vnitatem: ergo oportet, quòd obiectum per ſe primò repræſentatum ab vna ſpecie ſit entitative vnum. Tum denique: quia adhuc eſſentia divina, eſtò ſit infinita, per ſe primò non repræſentat niſi ſeipſam, & omnia alia repræſentat, quia in ea continentur velut in cauſa ſecundùm totam eorum intelligibilitatem.

Et confirmatur: Nam de ratione ſpeciei eſt continere formaliter naturam obiecti per ſe primò repræſentati; ſed natura contenta in ſpecie nequit eſſe præcisè aliquis gradus communis, nec naturæ particulares contentæ ſub eo: ergo impoſsibilis eſt ſpecies repræſentans clarè & diſtinctè plures naturas diſparatas. Minor quoad primam partem probatur: Nam gradus communis tantùm continet confuſè naturas particulares: ergo ſi contineret formaliter præcisè naturam communem, non poſſet repræſentare diſtinctè naturas ſub ea contentas. Quoad ſecundam partem etiam probatur: Nam vnica ſpecies debet eſſe vna per ordinem ad vnitatem obiecti: ſi enim obiecta ſunt plura & diſparata, & non convenientia in aliqua ratione communi, non poſ-

poſſunt conducere ad vnitatem ſpeciei, ſed potius ad diverſitatem plurium ſpecierum: ergo neque poteſt continere in ſe plures naturas diſparatas.

74 Ad hoc argumentum, quod eſt præcipuum fundamentum Scoti: Reſpondetur cum Caiet. & alijs graviſsimis Thomiſtis, negando mai. Nam vt ſpecies angelica repræſentet clarè & diſtinctè plures naturas diſparatas, nec requiritur, quòd per ſe primò repręſentet naturam aliquam, quæ contineat ſivè in *eſſe* intelligibili, ſivè in *eſſe* entitativo illas naturas diſparatas, ſicut eſſentia divina repræſentat ſeipſam, quæ in vtroque ordine continet omnes creaturas; nec requiritur, quòd per ſe primò repręſentet, & contineat in ſe naturas particulares diſparatas; ſed ſufficit, quòd per ſe primò contineat & repræſentet vnam rationem communem, v. g animalis, & ſecundariò repræſentet naturas differentiales diſparatas.

Neque ex hoc ſequitur, quòd repræſentet naturas differentiales in confuſo. Pro quo ſciendum eſt, quod natura animalis poteſt conſiderari vel in abſtracto, vel in concreto. Species ergo, quæ repræſentaret naturam animalis in abſtracto, tantùm repręſentaret naturas ſub ea contentas in confuſo: & hoc modo ſe habet ſpecies noſtra abſtracta à phantaſmatibus beneficio intellectus agentis, quæ vtpote abſtracta à rationibus differentialibus, ita repræſentat per ſe primò naturam animalis, quod non repræſentet clarè & diſtinctè naturas ſub ea contentas. At ſpecies, quæ repræſentat per ſe primò naturam animalis in concreto, & prout actu diffuſam in inferioribus, eſtò repręſentet per ſe primò præcisè naturam communem animalis, debet etiam clarè & diſtinctè repræſentare (etſi ſecundariò) naturas inferiores, non ſolùm quoad id in quo conveniunt, ſed etiam quoad id in quo diſtinguuntur. Et ita ſe habet ſpecies angelica. Nec mirum: Nam cùm talis ſpecies non ſit à rebus ipſis abſtracta, vt eſt ſpecies noſtra, ſed per ſe infuſa à Deo per quandam imitationem eſſentię & ideæ divinæ, non vt reſpicit quancunque rem exiſtentem in particulari, ſed quatenus reſpicit omnia, quę componunt hoc vniverſum, reſpectu cuius non datur in Deo niſi vnica tantùm idea, ſicut in artifice domus; ideò repræſentat illam naturam communem cum ſuis inferioribus ita clarè & diſtinctè, ac ſi daretur ſpecies repræſentans quodlibet inferius in particulari.

75 Neque ex hoc inferas, huiuſmodi ſpeciem æquè repræſentare omnes naturas in particulari contentas ſub natura vniverſali; cùm æqualiter participent illam naturam communem. Non (inquam) inferas: Nam ſpecies huiuſmodi non repræſentat naturam animalis niſi vt actu diſtributam in ſuis inferioribus, itaut tota natura animalis in omni ſua amplitudine non ſit ratio *qua* per ſe primò repræſentata, nec ſub hac vniverſalitate fundet vnam rationem *ſubqua*; ſed ſub quadam vniverſalitate determinata, v. g. quatenus in exercitio eſt diffuſa in decem inferioribus. Ex quo facile percipies maiorem & minorem perfectionem in ſpeciebus angelicis: nam ſpecies, quæ eſt in intellectu Angeli inferioris, repræſentabit naturam animalis vt determinatam & diffuſam (v. g.) in decem inferioribus; & quæ eſt in Angelo ſuperiori, repræſentabit eam pro vt diffuſam in viginti: ſpecies verò, quæ ſunt in eodem Angelo, ita debent coordinari inter ſe, vt ſpecies repræſentans inferiora nobiliora non repræſentet in tanta multitudine, ac ſpecies repræſentans inferiora imperfectiora: vt ſic maior intenſio, quę reperitur in ſpecie repræſentante perfectiores naturas, compenſetur per maiorem vniverſalitatem repertam in ſpecie repræſentante plura inferiora imperfectiora: ac proinde vtraque evadat cum æquali immaterialitate tàm inter ſe, quàm in ordine ad intellectum, in quo ſunt.

Nec huius doctrinæ deficit ratio, & exemplum, quæ illam declarant: Nam imprimis, cùm iſtæ ſpecies ſint exemplatæ ab ideis divinis, non prout reſpiciunt quodlibet ideatum abſolutè ſumptum & in particulari, ſed quatenus omnia ideata in particulari componunt totum hoc vniverſum, ad quod non niſi vnica idea datur in Deo, propterea proportione ſervata ſpecies angelica repræſentat plura vel pauciora inferiora iuxta maiorem vel minorem participationem illius vniverſalis ideæ divinæ. Exemplum etiam eſt clarum: Artifex (v. g.) qui agit de lateribus, habet vnicam ideam repræſentantem lateres: Artifex verò, qui agit de domibus, habet vnicam ideam magis vniverſalem repræſentantem omnia ea, quæ ad conſtruendam domum deſiderantur. Sic ergo diſcurrimus de ſpecie angelica.

76 Ex his iam conſtat ad omnes probationes Scoti adductas num. 73. Ad *primam* enim dicimus, quòd eo ipſo quòd natura communis ſit per ſe primò repræſentata, & naturæ particulares ſub ea contentæ repræſententur ſecundariò, optimè ſalvatur vnitas obiecti tàm ſecundùm rationem *quæ*, quàm ſecundùm rationem *ſub qua*. Salvatur etiam, quòd ſpecies reſpiciat vt ſui menſuram obiectum, ab eoque poſsit ſumere ſuam vnitatem. Per quod conſtat ad ſecundam. Ad *tertiam*: Reſpondetur, quòd natura divina, eò quòd eſt infinita, continens perfectè tàm in *eſſe* rei, quàm in *eſſe* intelligibili omnes naturas creatas, & quia non poteſt ſpecificari ab aliquo creato, propterea poteſt vnico tantùm illo modo naturas creatas repræſentare. Speciei autem Angelicæ nequit hic modus repræſentandi naturas diſparatas accommodari ob oppoſitas rationes. Vnde non reſtat alius modus ſuæ vniverſalitatis pręter ſuprà aſsignatum, qui ex nullo capite re-

pugnat ſpeciei creatæ. Ex dictis etiam conſtat ad confirmationem, quin ſit neceſſe aliquid addere.

77 Sed dices: Species huiuſmodi vel repræſentat inferiora virtualiter, vel formaliter; neutrum dici poteſt: ergo vel huiuſmodi ſpecies non eſt vniverſalis; vel eius vniverſalitas ineptè explicatur modo pręſcripto. Minor quoad primam partem probatur: Tum, quia etiam ſpecies noſtra repræſentat virtualiter inferiora animalis; & tamen non dicitur *vniverſalis*: ergo vel ſpecies angelica non eſt vniverſalis, vel non repræſentat inferiora tantùm virtualiter. Tum etiam: quia alioquin tantùm cognoſceret inferiora virtualiter: nam talis eſt cognitio in ratione *cognitionis*, qualis eſt ſpecies in ratione *repræſentandi*.

Quoad ſecundam partem etiam probatur: Nam ſi repræſentaret formaliter inferiora, haberet in ſe formaliter eorum naturas, cùm ſpecies nequeat formaliter repræſentare, niſi id quod formaliter continet, vt liquet in idea hominis repræſentante totam domum, quæ difficilè poſſet repræſentare formaliter partes illius, niſi in ea formaliter invenirentur; ſed ſpecies angelica non continet formaliter naturas inferiorum, aliàs eſſent obiectum primarium, vtpotè eiuſdem naturæ cum illis: ergo.

Hæc replica iam tacta eſt tract. præced. diſp. 3. num. 109. Et iuxta ibi dicta poteſt reſponderi, admittendo vtranque partem dilemmatis, ex quarum vlla nullum ſequitur inconveniens contra præcedentem doctrinam, aut vniverſalitatem ſpeciei. Igitur ſi admittatur prima pars dilemmatis; ad primam probationem dicendum eſt, eſſe notam diſparitatem inter ſpeciem noſtram, & angelicam: nam ſpecies noſtra cùm repræſentet naturam animalis, prout eſt abſtracta præcisè à natura humana (v. g.) nequit deſervire ad cognitionem formalem vllius naturæ in particulari: non humanæ, quia repræſentat naturam animalis, prout ab ea abſtracta eſt: nec naturam leonis aut equi, quia ab eis non eſt abſtracta: nec repræſentat naturam animalis prout actu diffuſam in illis, ſed adſummùm poteſt deſervire ad cognitionem confuſam eorum, inquantùm virtualiter continet eas. Cœterùm ſpecies angelica repræſentat naturam animalis prout actu diffuſam in naturis inferioribus. Ideoque, eſtò repræſentet virtualiter inferiora, æquivalet repręſentationi formali & primariæ inferiorum. Hoc explicari poteſt exemplo eſſentiæ divinæ, quæ eſt vniverſaliſsima in repræſentando, eſtò repræſentet tantùm virtualiter creaturas. Quo exemplo occurritur ſecundæ probationi: Nam Deus cognoſcit formaliter creaturas, eſtò eſſentia illius repræſentet illas tantùm virtualiter. Species autem angelica potius imitatur ſpeciem divinam quàm noſtras, & propterea debet dici *vniverſalis*, & conducit ad cognitionem formalem inferiorum.

Si eligatur ſecunda pars dilemmatis (quæ eſt probabilior) Reſpondetur ad eius probationem, negando maiorem. Nam benè poteſt ſpecies repræſentare formaliter aliquod obiectum, quin illud contineat formaliter in *eſſe* intentionali, dummodò ſit obiectum ſecundarium, vt patet in eſſentia divina, quæ in *eſſe* intentionali non continet formaliter attributa & relationes, ne dicatur attributa & relationes habere ſimul cum ea rationem ſpeciei, quod omnes Thomiſtæ negant; & tamen repræſentat formaliter illa. Et ratio huius eſt: nam non quælibet repræſentatio formalis præſupponit naturam repræſentatam in ſpecie, ſed tantum repræſentatio primaria: Vnde cùm naturę inferiores tantùm ſint obiectum ſecundarium ſpeciei angelicæ, non eſt neceſſe, quòd formaliter contineantur in ea. In idea res aliter contingit, quia repræſentat per ſe primò partes domus, vt habent vnitatem ordinis, quæ vnio non datur in obiectis diſparatis à ſpecie angelica repræſentatis.

78 Sed replicabis: Ex dictis in hac duplici ſolutione infertur; omnes ſpecies exiſtentes in eodem intellectu angelico, vel diverſis, eſſe eiuſdem ſpeciei; hoc nequit admitti, aliàs duo accidentia numero diverſa eſſent in eodem ſubiecto: ergo ratio *animalis* nequit eſſe tantùm per ſe primò repræſentata. Sequela probatur: Quia eſſentia divina, vt repræſentat in intellectu vnius beati has creaturas potius quàm alias, non vnitur modo quaſi ſpecificè diverſo ab eo, quo vnitur cum intellectu alterius beati repræſentans alias creaturas poſsibiles: item viſiones beatificæ non diſtinguuntur ſpecie, eſtò vna cognoſcat diverſas creaturas poſsibiles ab alia; non alia ratione niſi quia obiectum primarium eſt idem: ergo idem dicendum eſt de ſpeciebus angelicis repręſentantibus per ſe primò naturam animalis.

Reſpondetur negando ſequelam: Quia, vt illæ ſpecies diſtinguantur eſſentialiter, ſufficiebat, quòd natura generica repræſentata ab illis diſtinguatur individualitèr, vt ſolet dici de ſpeciebus repręſentantibus Petrum & Paulum. Vel dicatur, ſufficere ad eiuſmodi diſtinctionem, quòd ſpecies repræſentent naturam animalis, prout hæc connotat inferiora diverſa, in quibus exercitè eſt contracta. Hac ratione ſpecies abſtracta per noſtrum intellectum agentem à phantaſmate hominis eſt diverſa ſpecificè à ſpecie abſtracta à phantaſmate equi, eſtò vtraque repræſentet primario naturam animalis. *Ad probationem*: Reſpondetur, quòd natura divina vnita per modum *ſpeciei* ideo non vnitur modo ſpecie diverſo, eſtò vniatur cum illa diverſitate repræſentandi, quia non reſpicit intellectum creatum vt ſuſceptivum eius primarium,